

Joachim Heinrich Burgmann


Viro Magnifico, Summum Reverendo, Amplissimo, atque Exellentissimo, Domino, Domino Johanni Joachimo Weidnero, Philosoph. Ac. S. S. Theologiæ Doctori ... De Deo, Archetypo Immediato, Ad Cujus Instar Imago Divina In Homine Expressa Fuit ... Disserit Joach. Henr. Burgmannus, Rostoch. S. S. Theol. Studiosus. Rostochii MDCCXXX. d. Novemb.

Rostock: Typis Io. Iac. Adleri, 1730

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1747184209>

Druck Freier  Zugang







Bibl.
Schol. Cathedr.
Jur. Tron.

1836.

Mk-7775^a
~~Mk-7774~~






Fasciculus
Actorum Jubilæi,
ab
Exhibita in Comitibus Imperij
Augustana Confessione,
in
Academia Rostochiensi
celebrati,
Secundi.
a^o 1730.



*Academiae Rostockensis
Rehibita in Patria Rostock
Augusti 1750*



*Academiae Rostockensis
celebrata
1750*

De
u
S
v
de
für

C
J
Q
S

N

Hau
geha
M
derse
Zuff
then
wir
für h
lich se
Bisch
dräng
nicht
und ve
Geisli
juvor
Zweiff
Unse

196

105

VIRO MAGNIFICO,
SUMMUM REVERENDO, AMPLISSIMO, atque
EXCELLENTISSIMO, DOMINO,
DOMINO
JOHANNI JOACHIMO
WEIDNERO,

PHILOSOPH. AC S. S. THEOLOGICÆ DOCTORI, HUIUSQUE PROFESSORI P. O. PER ORBEM CELEBRATISSIMO, REVERENDI MINISTERII ANTI-STITI GRAVISSIMO, AD ÆDEM DIVÆ MARIE PASTORI LONGE MERITISSIMO, PATRONO, atque PRÆCEPTORI SUO DEMISSA MENTIS OBSERVANTIA DEVENERANDO, REGIMINIS ACADEMICI FASCES, TERTIA VICE COLLATOS, GRATULATURUS, CONSENTIENTE MAXIME VENERABILI THEOLOGORUM ORDINE,

DE
DEO, ARCHETYPUS IMMEDIATUS,
AD CUIUS INSTAR IMAGO DIVINA IN
HOMINE EXPRESSA FUIT,

PAUCA QUÆDAM PRO VIRIUM TENUITATE
DISSERIT

JOACH. HENR. BURGMANNUS, ROSTOCH.

S. S. THEOL. STUDIOSUS.

ROSTOCHII MDCCXXX. d. NOVEMB.

R O S T O C H I I,

TYPIS IO. IAC. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. TYPOGR.

105.



VIR MAGNIFICE
PATRONE COLENDISSIME!



Nter communes, quibus Mu-
sa nostra, MAGNIFICE DOMINE
RECTOR, TE excipiunt, plausus,
ingratus ego forem, quodsi contice-
scerem, qui & ad pedes Tuos quoti-
die sedeo, & plurima alia favoris
Tui documenta sapius expertus sum,
Quam vellem, ut sermone ligato,
quemadmodum consuetudo fert, id, quod mearum est par-
tium, exequi possem. Sed cum datum hoc mihi non sit,
Tecum, THEOLOGE CONSUMMATISSIME, pravia non-
nulla ex articulo de imagine divina Theologico differere
liceat. Non indignum id Tua persona fore, reor, cum hac
doctrina

doctrina plurium Theologorum animos, calamosque exercuerit (a), & omnium, recte sentientium iudicio ad articulos fidei pertineat fundamentales, faltem antecedenter tales (b). Neque enim ARMINIANOS curio, qui inter exigui momenti doctrinas eum referunt (c), siquidem Indifferentismus, & Scepticismus eorum Theologicus aliunde satis constat. Revocare quidem ab instituto me posset obscuritas, quam nonnulli venditant (d). Sed cum illos assidua Scripturae lectio luculenter refellat, nil obitare puto, quo minus de causa exemplari imaginis divinae, homini concreata, quaedam in medium proferam. Non vacat nunc GRAECORUM, BOEHMII, STIFELII, COMENII, THOMASII, FREYLINGSHAUSENII, aliorumque excutere opiniones, qui DEUM non absolute, sed respective (respectu scilicet ad

(a) Longa serie eos recenset PFAFFIUS *Histor. Theol. Liter. Part. I. Libr. II. p. 123*, quibus omnino tamen addendi CHRISTOPH. GRAUMULLERUS, cuius orthodoxa Fidei Confessio de imagine DEI in homine ante lapsum ex Gen. 1. v. 26. 27. asserta, sub praesidio JOH. SCHARFFII Anno 1650 publice proposita est, & vir elegantis, ut MENCKENIO salutatur, ingeni. MICHAEL LILIENTHALIUS, qui edidit *Wahrscheinliche Vorstellung der Geschichte unserer ersten Eltern im Stande der Unschuld. Regiom. & Lips. 1727. in 8vo.*

(b) Consentit LUTHERUS, scribens: *Sine doctrina de imagine DEI nos in Theologia nihil scire, sed de rebus prorsus ignotis iudicare.* apud AFFELMANNUM *Syntagm. P. I. Diss. XV. p. 447*

(c) Vid. b. ALBERTI *Interesse Religionum p. m. 216.* Oritur haec assertio ex libertate illorum sic dicta prophetandi, sive tolerantia omnium doctrinarum, quam Batavi den *Drechtwagen* nominant, conf. cel. REIMMANNUS *Histor. Atheismi, p. 471.*

(d) EPIPHANIUS *Heres. LXX. p. m. 390.* de imagine divina omnia prorsus ignota esse statuit, cui, teste AFFELMANNO, *l. c. p. 447.* ex Patribus THEODORETUS, ex recentioribus GRETMANUS, assentiunt.

ad intra habito) consideratum esse exemplar imaginis, homini concreata, dicunt (e). Id unum mihi disquirendum firmam: Utrum DEUS Archetypum immediatum sit, ad cuius instar imago divina in homine expressa fuit; an potius aliud ens, DEO simile, & ante hominis ad imaginem DEI productionem conditum, ita, ut homo DEI imago dicatur, non, quia immediate DEO conformatus est, sed quia similitudinem alterius entis, quod divinam imaginem gerit, refert? Priorem sententiam veriore non immerito credo, cum in ipsa Scriptura S. liquido fundata sit. Provocho ad locum illum classicum Genes. 1. comm. 26. 27. ubi decretum divinum de condendo homine in imagine DEI & ejus exsecutio describitur. Notari hic merentur:

I) Subiectum, quod homo est specificè consideratus, non homo sine exemplo, CHRISTUM puto, secundum humanam naturam, uti Ἐπιγενεσις ille IRENÆUS, Episcopus Lugdunensis asserit (f). Licet enim abnuinequeat, CHRISTUM, etiam hominem, esse imaginem divinam (g), decretum tamen hoc divinum, de creando homine ad imaginem DEI, ad ejus humanitatem spectare, concedi nequit. Repugnat namque executio, quæ ad marem, & fœminam v. 27. refertur.

II) Nomina אֱלֹהִים, & אֱנוֹכִי, quæ hoc loco (h) in re (i) prorsus idem innuere, Theologi dederunt evictum a) ex

(e) Consultavit eos CELEBERRIMUS, qui nuper ad meliores abiit D. D. RUMPAEUS *diss. de imagine DEI* qv. V. p. 17. seqq.

(f) Lib. 5. Oper. Idem sentire TERTULLIANUM, & ORIGENEM docet b. WIGANDUS. *vid. ejus γνωθὶς σεαυτὸν. Francof. 1562. in 8vo. excusum p. 30.*

(g) Comp. GRAUMULLERUS *l. c. Additamento. 1. p. 96.*

(h) Alias enim vocabulum imaginis latius patere vocabulo similitudinis, constat. *vid. AFFELMANNUS l. c. p. 448.*

(i) Ingeniosa sunt, quæ habet Celeb. FISCHLINUS *Mysterio Primogenitæ*

ex decreti divini, & ejus executionis comparatione, β) ex idiotismi Ebraici consideratione. γ) ex vocabulorum illorum permutatione, δ) ex unius vocabuli in altero inclusione. (k) Ut illorum itaque corruat exceptio, qui his vocibus diversa indigitari archetypa, quorum alterius imaginem, alterius vero similitudinem homo gerat, contendunt.

III) Gemina vocis *⌘* v. 27. repetitio, cujus emphasin, quantum ad meum institutum facit, egregie Celeb. LIENTHALIUS exposuit: *Es deutet, inquit, also diese Wiederholung Zweyerley an. Erstlich, zu wessem Bilde der Mensch sey geschaffen worden, nemlich nicht zu seinem eigenem, sondern zu GOTTES Bilde. Andere Geschöpfe sind in unterschiedlichen Gestalten gemacht worden, die keinen andern als sich selbst gleich; Der Mensch aber nach dem Ebenbilde Gottes. Zum andern, daß der Mensch ALLEIN zum Bilde GOTTES geschaffen, nicht etwa zum Bilde der Engel, oder anderer Creaturen* (l) Atque hinc DEI imaginem hominem immediatam esse, luculenter adparet, cum & in decreto, & in executione ad eum unice referatur. Confirmari idem posset renovatione ad imaginem divinam. Ea enim ad Creatoris imaginem fieri debet. Is cum autem non alius, quam DEUS sit, non alia quoque interferi potest imago. Subjungere quoque possem, hominem, si aliud daretur archetypum

geniti omnis creaturae qu. 2. §. 3. p. 127. Nolim, scribit, contemnere observationem, qua imago ad attributa DEI absoluta v. g. ad spiritualitatem, immortalitatem &c. animae, & corporis; similitudo vero ad respectiva, sanctitatem, justitiam, sapientiam &c. a nonnullis refertur.

(k) Quae argumenta latius deduxit GRAUMULLERUS l. c. Membr. l. §. XXI. p. 23 sqq.

(l) In der wahrscheinlichen Vorstellung der Geschichte unserer Ersten Eltern im Stande der Unschuld. Cap. II. §. VI. p. 43.

pum immediatum, imaginem DEI vel plane non, vel secundo tantum appellandum esse. Imago enim non ab exemplaris causa, quæ hoc, vel illud exemplar esse, & fieri facit, sed ab ipso exemplari denominatur. Sed ut brevitati studeam, ad adversarios statim progrediar, errores illorum enarraturus. Primus omnium, quantum scio, qui hic dissentit, est ANDREAS OSIANDER, qui primum Norimbergæ, postea Regiomonti docuit, natione non Bavarus, quod HARTKNOCHIUS, & Celeb. REIMMANNUS tradunt, sed Francus (m). Natus Gunzenhusii Ao. MCCCCIIXC., die XIX. Decembris, denatus vero Regiomonti Ao. MDLII. die XVII. Octobris, æt. 54. (n). Hic enim præconcepta opinione, FILIUM DEI in carnem venturum fuisse, etiam si genus humanum per Adæ lapsum non fuisset perditum (o), eo usque abusus est, ut ad hanc humanam CHRISTI naturam, quam ab æterno tamen actu non existitisse concedit, ejusque ideam, ab æterno in mente divina formatam, imaginem DEI in homine expressam in tempore esse, docuerit (p). At cum expresse Phil. II. 7. asseratur, CHRISTUM quoad humanam naturam nobis, non autem nos CHRISTO, assimilatos esse, & certum sit, CHRISTUM humanitatem nunquam assumpturum fuisse, nisi homines peccassent, (cessante enim fine cessat id, quod propter

(m) Conf. b. D. D. WERNSDORFIUS *diff. de Osiandrisimo in Pietismo renato* Cap. I. §. I. Celeb. ZELTNERUS *de paralipom. Osiandrino, seu LEONHARDI CULMANNI vita, & Fatis. Altorf.* 1724 §. I. p. 3.

(n) vid. JOH. PONTANUS *Catalog. Heretic. P. I. Cap. 39.* THUANUS *Histor. P. I. Tom II Lib. XI. p. m. 242.* REIMMANNUS *Introd. in histor. liter. Germ. Vol. III. p. 9.*

(o) Non incongrue b. WIGANDUS *ex sententia Patrum quorundam nor. (f) adducta, hanc opinionem deduxit l. c. p. 30.*

(p) Sententiam hanc proposuit OSIANDER *partim tr. de qu. An FILIUS DEI fuerit incarnandus, si peccatum non introisset mundum? partim tr. de imagine DEI.*

pter finem est) non multus ero in refutandis OSIANDRI Commentis; miror magis, THOMAM STAYNOE, Anglum, hoc ipso seculo OSIANDRO, cujus error paucorum alias adplausum consecutus est, calculum adjecisse. Docet enim DEum in carne manifestatum, esse imaginem, ad quam homo conditus est (q). Referrī tamen utcunque hic potest IO. WILHELM PETERSENIUS, una cum conjugē sua JOHANNNA ELEONORA de MERLAUEN, qui humanam pariter CHRISTI naturam hominis, ad imaginem divinam condendi, archetypum fuisse, magno conatu asseruerunt. Ab OSIANDRO tamen in eo discrepant, quod hic ideam humanæ CHRISTI naturæ ab æterno in mente divina existentem; isti vero CHRISTUM, humanam naturam ab æterno sibi actu conjunctam habentem, prototypon hominis dicant (r), hypothēsi fanatica nixi, CHRISTUM ab æterno jam fuisse incarnatum, cujus vanitatem cum Celeb. MELCH. LUDOV. FISCHLINUS (s) solide detexerit, his relictis aliorum somnia persequar. Non ignotus est HEINRICUS KORNMANNS, Kirchæinæ Cattorum natus, vir portentosi, & lepidi ingenii (t).
Hic

(q) Vid. Meditationes ejus de salute, unice per JESUM CHRISTUM obtinenda, Londini 1704. in 8vo idiomate anglicano publicata, Cap VII. p. 83. sqq. & CELEB COLLECT. Act. Erud. Latin. Anno 1705. p. 82, ubi has STAYNOE meditationes recensent.

(r) Sollicite hanc discrepantiam inter OSIANDRUM, & PETERSENIUM inculcat MAGNIF. D. D. ÆPINUS, Patronus atque Preceptor. meus devota mente colendus, Collegio MSio ad theses Theol. in Ecclesia Lutherana recentius controver. Artic. de Christo S. 3.

(s) Mysterio primogeniti omnis creaturæ. Ulmæ 1715. in 4to. Forfan ante PETERSENIUM eadem docuerunt EUGUBINUS, & OLEASTER, excitati a. b. SCHERTZERO sst. p. m. 113., de quo ii dispiciant, quibus librorum, ab istis conscriptorum, copia est.

(t) Speciminis loco esse possunt, quæ nuper diff. epistol. ad magnif. D. D. ÆPINUM de lusibus ingenii eruditorum quorundam in rebus Theol. adduxi, quibus plura, si opus esset, addi possent.

Hic a. DEUM mediatum, & mundum hunc visibilem, & elementarem imaginis divinae, homini inditae, archetypum immediatum esse, adfirmare non erubuit. Nam sicut imago DEI, refero verba ejus, *mundus est*; sic imago mundi homo est. Hinc putant quidam dictum esse, quod homo non simpliciter imago DEI creatus est, sed ad imaginem, quasi imaginis imago: Id circo microcosmus, dictus est, hoc est minor mundus (v). Ita hæc arriserunt personato illi JOH. TREIBBENACHIO, seu vero nomine BREITENBACHIO, ut iis subscribere haud detrectarit. Edidit juvenis adhuc scriptum quoddam de *Fortuna humana*, & DEI providentia, multis absurditatibus, crassissimisque erroribus refertum, cui præfationem, uti titulus habet, notabilem præfixit, in qua inter alia sequentia evomit: DEUS hominem ad suam creavit imaginem, DEI sic imago, uti mundus, sic mundi imago homo, quin homo simpliciter est creatus ad imaginem, quasi imago imaginis, & exinde dictus microcosmus, mundus minor (w). Tam hæc sunt jejuna, & absona, ut sua se absurditate ultro destruant. Quis enim non videt, stante hac hypothese, mundo sapientiam, justitiam, & sanctitatem tribuendam esse, quandoquidem hæc dona primario imaginem divinam, homini concessam, constituunt: mundum, saltem quoad partem, immaterialem esse. *Παῖς* enim *θεοῦ* imaginis divinae est anima hominis, spiritus immaterialis: mundum aut jam confirmatum esse in bono, aut saltem aliquando confirmatum iri, siquidem confirmatio in bono, si in eo protoplasti perstitissent, imaginem divinam consecutura fuisset. Alia, eaque magis adhuc absurda prætermitto. Prævidit ea TREIBBENACHIVS,

B

(v) *Tr. de miraculis vivorum*, Francof. 1614. in 8vo edito p. 2.

(w) *Præf. p. 18. scripti citati*, quod excusum Hamb. 1634. in 4to, lectuque difficilimum est, partim, quia nimis confuse, & inordinate conglomeratum, partim, quia stylo hinc inde, & hirsuto conscriptum, partim, quia tot mendis typographicis, quot lineis, refertum est, de quo auctor ipse conqueritur, & propterea nomine adscito se occultasse dicit.

NACHIUS, quare, ut causâ subveniat desperatâ, sequentia subjicere præclarum duxit: *Mundus rationale s[ed] animal immortale; Homo nil minus rationale, est mortale &c.* Quam futilem mundi, hominisque comparationem ineptam hanc opinionem cuidam mentis integræ persuasuram esse, non immerito dubito. Nec saniora sunt, quæ ad stabiliendas has absurditates proferuntur, argumenta. Urgent I) non dici, hominem imaginem, sed NB. ad imaginem DEI conditum esse, quasi imaginem imaginis. Sed quis ignorat, in fonte legi *יְהוָה יִצְרָאֵל*, in imagine nostra? quod sua versione feliciter expressit LEO JUDA. Nec ex versione, si vel maxime ei inhæreatur, aliud quod sine *ἀσυλλογισίας* vitio potest exculpi, cum non ad aliam, quam DEI imaginem homo conditus esse perhibeatur. Obijciunt II) Mundum esse imaginem DEI, at hominem esse imaginem mundi. Esse enim illum microcosmum, indeque hominem ex eo, quod est imago mundi, imaginem quoque DEI esse. Nonne autem gratis supponitur, mundum esse imaginem DEI? Rectius supra laudatus LILIENTHALIUS; *Andere Geschöpfe (sc. præter hominem) sind in unterschiedlichen Gestalten gemacht worden, die keinem andern als sich selbstn gleichen.* Nonne loco probationis temere assumitur, quod nullam probandi vim habet & a nomine microcosmi ad imaginem mundi, homini concreatam, frustra concluditur? Quid hoc nomine enim aliud innuitur, quam convenientiam inter mundum, & hominem aliqualem & dari, & ab eruditis admitti (x). A convenientia vero qualicunque ad imaginem concludere velle, tam frivolum est, quam, quod maxime. Præterea comparationes inter macrocosmum, & microcosmum, quæ ab eruditis quandoque instituuntur, similitudinem respiciunt ab ea,

(x) Vid. SENNERTUM de Chymicorum cum Aristotelicis consensu, & dissensu Cap. V. de Analogia majoris, & minoris mundi. p. 125. sqq.

ea, quæ imaginem divinam proprie constituunt, longe diversam. Quodsi vero omnimoda majoris, & minoris mundi statuatur convenientia, cum bobus, & asinis (y) homo conferendus erit, quod iis, qui his delectantur, relictum esto. Monenda adhuc quædam forent, partim de PHOTINIANIS, & ARMINIANIS, docentibus, hominem ad imaginem Angelorum conditum esse (z); partim etiam de minime piis PIETISTIS, qui vi assertionis: CHRISTUM esse ipsam imaginem DEI, in nobis restaurandam (aa), huc referendi videntur. Sed cum hæc tum ab aliis Theologis, tum a TE quoque, VIR SUMME VENERABILIS, in dissertationibus TUIS edecumatis passim, & solide profligata sint, TE, THEOLOGE CONSUMMATE, alloqui, quam cum Mæteologis diu versari, satius, & gratius puto. Gratulantur sibi Musæ Nostræ de TE, MAGNIFICE DOMINE RECTOR, Magistratum Academicum denuo capeffente, quo TE jam sæpius & dextrime, & fructuosissime defunctum esse, non


fine


(y) Nam & hi ad macrocosmum referuntur. Per mundum majorem, utor verbis LEUCHSNERI, nomen microcosmi homini vindicantis, non solum intelligimus cælum, & elementa, Metalla, & mineralia, verum etiam plantas, & NB. animalia bruta: disp. exhibent. dodec. quest. physic. nonam qv. I. Stetini 1639.


(z) Vid. de utrisque GRAUMULLERUS l. 6. §. 61. p. 69. de SOCINIANIS autem b. SCHOMERUS Colleg. Anti-Soc. Cap. VIII. §. V. qv. I. p. 73.

(aa) Conf. b. SCHELGUIGIUS *Synops. Artic. XII qv. I p. III.* PACHOMIUS, f. ZELTNERUS *Synopsilogom. Cap. XII qv. I. p. 114.* & personatus IOH. FRANCISCI, quo nomine Virum quendam longe Celeberrimum regi fama fert, demonstratione infelicitis conatus PACHOMII §. XIX. p. 34.

sine intimo, & voluptatis, & grati animi sensu recordantur. Quos inter, dum indigno mihi locus concessus est, his jure, meritoque, qui TIBI, & sibi gratulantur, memet adjungo. Faxit summus rerum Arbitrator, & Moderator, ut nec animi, nec corporis vires TE destituant, quo inter alia gravissima, quæ in egregium publicum cumulatum suscipis, negotia, ACADEMIÆ, TUA hinc autoritate, hinc sapientia, salutariter præsis, eique quam plurima & ornamenta, & commoda addas. Idem & Ecclesia purior, Orbis Literatus, R. Ministerium, Coetus Marianus, Familia Splendidissima, quibus inserviando consumeris, ardentissimis a DEO precibus impetrare fatagunt. Quas dum ipse quoque ad Supremum Numen pro TUA incolumitate deferre, & nuncupare nunquam desistam, id unum a TE, MAGNIFICE DOMINE RECTOR, vicissim quam humillime contendo, ut in TUÆ & doctrinæ, & benevolentia partem venire mihi contingat, quo de tanto & Præceptore, & Patrono gloriari diu queam. Etiam atque etiam vale. Scribeb. Rostoch.
 MDCCXXX. d. Novemb.







ea, quæ imaginem divinam proprie constituunt, longe diversam. Quodsi vero omnimoda majoris, & minoris mundi statuatur convenientia, cum bobus, & asinis (y) homo conferendus erit, quod iis, qui his delectantur, relictum esto. Monenda adhuc quædam forent, partim de PHOTINIANIS, & ARMINIANIS, docentibus, hominem ad imaginem Angelorum conditum esse (z); partim etiam de minime piis PIETISTIS, qui vi assertionis: CHRISTUM esse ipsam imaginem DEI, in nobis restaurendam (aa), huc referendi videntur. Sed cum hæc tum ab aliis Theologis, tum a TE quoque, VIR SUMME VENERABILIS, in dissertationibus TUIS edecumatis passim, & solide profligata sint, TE, THEOLOGE CONSUMMATE, alloqui, quam cum Matæologis diu versari, satius, & gratius puto. Gratulantur sibi Musæ Nostræ de TE, MAGNIFICE DOMINE RECTOR, Magistratum Academicum denuo capeffente, quo TE jam sæpius & dextrime, & fructuosissime defunctum esse, non fine

(y) Nam & hi ad macrocosmum referuntur. Per mundum majorem, utor verbis LEUCHSNERI, nomen microcosmi homini vindicantis, non solum intelligimus cælum, & elementa, Metalla, & mineralia, verum etiam plantas, & NB. animalia bruta: disp. exhibent. dodec. quest. physic. nonam qv. I. Stetini 1639.

(z) Vid. de utrisque GRAUMULLERUS l. s. §. 61. p. 69. de SOCINIANIS autem b. SCHOMERUS Colleg. Anti-Soc. Cap. VIII. §. V. qv. I. p. 73.

(aa) Conf. b. SCHELGUIGIUS *Synops. Artic. XII qv. I p. III.* PACHOMIUS, f. ZELTNERUS *Synopsilogom. Cap. XII qv. I. p. 114.* & personatus IOH. FRANCISCI, quo nomine Virum quendam longe Celeberrimum tegi fama fert, demonstratione infelicitis conatus PACHOMII §. XIX. p. 34.

